OMNIVM GENTIVM AC NATIONVM CONVENTVS LATINIS LITTERIS LINGVAEQVE FOVENDIS

a die 5°
in diem 10 um
mensis Augisti
anno 1985°

Curante Academia Latinitati fovendae sextus Conventus habebitur Dunelmi (Durham, in Anglia) a die quinto ad decimum mensis Augusti anno MCMLXXXV°. Sedes Conventus erit Collegium Sanctae Hildae Sanctique Baedae in Universitate Dunelmensi, sescentis fere passibus a Cathedrali Ecclesia Castelloque distans et amoenissimo veteris urbis, fluminis, camporum prospectu praeditum. Omnibus sessionibus spatium erit amplum intra muros Collegii, quod etiam satis cubiculorum habet. Thema Conventus, ubi omnia Latine agentur, propositum est "Britannia Latina". Orationes maioris momenti habitum iri speramus a Caeleste Eichenseer (de Venerabilis Baedae scriptis), a Boleslao Povsic (de eis quae Cicero de Britannia scripsit), a Michael Rambaud (quid Caesar et Tacitus de Britannia senserint), a Patricio Walsh (de Gulielmo Malmesburgensi historiae scriptore), et ab aliquo ex Italis, cuius nomen nondum confirmare licet.

Aliis facultas praebebitur, si nos praemonebunt, de quolibet argumento idoneo (non solum de litteris linguaque, sed de omnibus rebus ad Britanniam Latinam pertinentibus) Latine eloquendi, dummodo intra quartam partem horae res agatur. Quamquam orationes commentationesque Latine habebuntur et linguae Latinae usus colloquiis participum valde commendatur, disputare licebit, si necesse erit, his quoque linguis; Britannica, Francogallica, Germanica, Hispanica, Italica.

Unus huius Conventus dies dedetur itineri ad Murum Hadriani faciendo et per Universitatem Novi Castelli Pontis Aelii redeundo. Altero die post meridiem greges modici participum Cathedralem, Castellum, repositorium chartarum monasterii antiqui spectabunt. Fieri potest ut, si qui volent, Museum ecclesiamque Venerabilis Baedae ad Jarrow visant; praeterea, Conventu peracto, occasio erit urbem Eboracum visendi. Post cenam uno alterove die speramus participes musica aliqua nec non dramate Latino oblectari posse.

Quisquis amplius de Conventu quaerere vel secundum programma accipere vult, scribat ad Professorem Gavinum Townend, 38 North Bailey, DURHAM, GB - DH1 3EU

Haec, sodes, omnibus impertias quos arbitraris fortasse Conventui interesse velle.



Praeses conventus: Prof. (Emer.) Osvaldus Dilke, Leodensis
Secretarius conventus: Prof. Gavinus Townend, Dunelmensis
Inscriptio cursualis: 38 North Bailey, Durham DH1 3EU, England.

Hadrian's Wall at Walltown Crags